



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6 De sensibus sacræ scripturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

reprobi, est immortalis, Isa. vi. Vermis eorum non morietur: sed nullum animal hēt ordinē ad immortalitatem, nisi hō. ergo vermis ille nō erit materialis.

¶ 2 Præ. In fletu corporali fit quaedam resolutio lacrymarum: sed omne corpus finitū a quo aliquid continue resolutur, nisi fiat aliqua restauratio, tandem consumitur. cum ergo in corporib. damnatorum nulla restauratio fiat deperditū, ut quod fletus qui erit in eis perpetuus, non erit materialis.

RESPON. Dicendum, quod circa hoc Aug. li. 10. de ciu. Dei, ponit diuersas opiniones sic dicens: In panis malorum, & inextinguibilis ignis, & uacissimus vermis ab alijs atque alijs, aliter atque aliter est expositus. Alij quippe utrumque ad animum retulerunt, alij utrumque ad corpus, alij ad corpus ignem, ad animam tropice uermem, quod esse creditur uel. Vnde sequentes Aug. dicimus quod uermis ille erit spiritualis, ut ipse remorsus conscientia interior animam corrodens uermis dicatur, & similiter fletus erit spiritualis, ut ipse dolor fletus, etiam sine lacrymarū emissionē, ut fletus dicatur nō solum dolor animæ, sed dispositio qua corpus disponitur, anima dolente.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod locutio illa tropica est, & sic possumus per carnes exponere animas impiorum qui carnales fuerunt.

AD SECUNDVM Dicendum, quod fletus corporalis modo prædicto sine lacrymarum emissionē sufficit ad ueritatem resurrectionis insinuandam. Si tamen sustineretur quod uermis & fletus essent corporales, posset dici quod diuina uirtute & uermis ille sustentaretur, & lacrymarum deperditio restauraretur.

QVÆSTIO VI.

DEINDE queritur de sensibus sacre scripturae:

¶ Et circa hoc queruntur tria.

¶ Primo, utrum præter sensus literales in uerbis sacre scripturae alij sensus lateant.

¶ Secundo, De numero, sensuum in sacra scriptura.

¶ Tertio, utrum illi sensus inueniantur in alijs scripturis.

ARTICVLVS XIII.

Utrum in eisdem uerbis sacre scripturae lateant plures sensus.

AD PRIMVM sic proceditur. Videt quod in eisdem uerbis sacre scripturae non lateant plures sensus, quia dictionibus semel sumptis non est utendum æquiuoce, uel multipliciter: sed pluralitas sensuum facit multiplicem locutionem. ergo in eadem locutione sacre scripturae non possunt plures sensus latere.

¶ 2 Præ. Sacra scriptura ordinata est ad intellectum secundum illud ps. 8. Declaratio sermonum tuorum dat intellectum: sed multiplicitas sensuum obnubilat intellectum. ergo non debent in sacra scriptura multi sensus esse.

¶ 3 Præ. Id quod potest esse occasio erroris, dēt in sacra scriptura uitari: sed ponere alios sensus præter literales in scriptura potest esse occasio erroris, quia quilibet posset exponere sacram scripturam secundum quod ipse uellet ad confirmationē opinionis sue. ergo non dēt esse plures sensus in sacra scriptura.

¶ 4 Præ. Aug. dicit 2. super Genē. ad literā. quod maior est sacre scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii precipacitas. ergo ille sensus qui non

hēt auctoritatem ad aliquid confirmandum, non est conueniens sensus sacre scripturae: sed nullus sensus præter literalem hēt robur ad aliquid confirmandum, ut patet per Dion. in epist. ad Titum. Dicit enim, quod symbolica theologia, quæ ex similib. procedit, nō est argumentatiua. ergo sacra scriptura alios sensus præter literalem non habet.

¶ 5 Præ. Quicumque sensus ex uerbis alicuius scripturae trahitur, quem author non intendit, nō est sensus proprius, quia author per unam scripturam non potest intelligere nisi unum, quia non contingit plura simul intelligere, secundum Philosophū. ergo non possunt esse plures sensus proprii sacre scripturae.

SED CONTRA est, quod dicitur Dani. 12. Pertran sicut plurimi, & multiplex erit scientia.

¶ 2 Præ. Hieron. dicit in prologo Biblia, loquens de Apoc. In uerbis singulis multiplices latent intelligentia.

RESPON. Dicendum, quod sacra scriptura ad hoc diuinitus est ordinata, ut per eam nobis ueritas manifestetur necessaria ad salutem: manifestatio autem, uel expressio alicuius ueritatis potest fieri de aliquo, rebus & uerbis, in quantum, si uerba significant res, & una res potest esse figura alterius.

Actio autem rerum non solum potest uerba accommodare ad aliquid significandum, sed et res potest disponere in figuram alterius, & secundum hoc in sacra scriptura manifestat ueritas dupliciter. Vno modo, secundum quod res significantur per uerba, & in hoc consistit sensus literalis. Alio modo, secundum quod res sunt figure aliarum rerum, & in hoc consistit sensus spiritualis, & sic sacra scriptura plures sensus competunt.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod uarietas sensuum, quorum unus ab alio nō procedit, facit multiplicem locutionem: sed sensus spiritualis semper fundatur super literalem, & procedit ex eo, unde ex hoc quod sacra scriptura exponitur literaliter, & spiritualiter, non est in ipsa aliqua multiplicitas.

AD II. dicendum, quod secundum quod Aug. dicit in lib. de doctr. christia. Vtiliter est a Deo dispositum, ut ueritas in sacra scriptura cum aliqua difficultate manifestetur. Est enim hoc utile ad tollendum fastidium, quia ad ea quæ sunt difficilia, maior surgit attentio, quæ rectum colit. Similiter ex hoc tollitur superbiendi occasio, dum homo difficulter dupliciter sacre scripturae capere potest. Similiter per hoc ueritas fidei ab inuisione infidelium defenditur. Vnde Dominus Matthæ 7. Nolite, inquit, sanctum dare canibus. & Dion. Timotheum monebat, ut sancta ab immundis in contaminata seruariet, & ita patet quod expedit ueritate fidei sub diuersis sensibus in sacra scriptura tradere.

AD III. dicendum, quod sicut dicit Aug. in lib. de doctrina christi. Nihil est quod occultum in aliquo loco sacre scripturae tradatur, quod non alibi manifeste exponatur. Vnde spiritualis expositio semper debet habere fulcrum in aliquo literalis expositione sacre scripturae, & ita uitatur omnis erroris occasio.

AD IIII. dicendum, quod non est per defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinibus, in qua fundatur spiritualis sensus. Vna enim res pluribus simul esse potest, unde non potest ab illa, quando in scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam aliarum determinare, sed est fallacia consequentis. Verbi gratia, leo per aliquam similitudinem significat

1. p. q. 7. ar. 9.
ad 2. & a. 10.
ad 1. & q. 10.
ar. 1. c.

eat Christum & diabolum. Vnde per hoc quod aliquid de leone dicitur in sacra scriptura, ad neutrum potest fieri processus, in sacra scriptura argumentando.

AD QUINTVM dicendum, quod author principalis sacre scripturae est spiritus sanctus, qui in uno verbo sacre scripturae intellexit multo plura, quam per expositores sacre scripturae exponantur, vel discernantur: nec est etiam inconueniens, quod homo qui fuit actor instrumentalis sacre scripturae, in uno verbo plura intelligeret: quia propheta, ut Hieronimus dicit super Osee, ita loquebantur de factis presentibus, quod etiam intenderunt futura significare. Vnde non est impossibile simul plura intelligere, in quantum una est figura alterius.

ARTICVLVS XV.

Primum debeant distinguere quatuor sensus sacre scripturae.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod non debeant distinguere quatuor sensus sacre scripturae. Historicus vel literalis, allegoricus, moralis, & anagogicus. Sicut enim in sacra scriptura aliqua figurate dicuntur de Christo, ita etiam figurate dicuntur de multis aliis hominibus, sicut Dan. 8. per hircum capratum significatur rex grecorum: sed huiusmodi figuratiue locutiones non faciunt aliquid sensum praeter literalem in sacra scriptura. ergo nec sensus allegoricus, per quem exponitur de Christo ea quae in figura ipsius praecesserunt, debet alius sensus ab historico poni.

¶ 2. Praet. Vna est ecclesia capitis & membrorum: sed sensus allegoricus videtur pertinere ad caput ecclesiae, scilicet Christum: sensus moralis videtur pertinere ad membra eius. scilicet fideles. ergo sensus moralis non debet ab allegorico distinguere.

¶ 3. Praet. Moraliter sensus est, qui ad morum instructionem pertinet: sed sacra scriptura in pluribus locis secundum literalem sensum mores instruit: ergo moraliter sensus non debet distinguere a literali.

¶ 4. Praet. Sicut Christus est caput ecclesiae militantis, ita est caput triumphantis, nec est alius, & alius Christus. ergo nec sensus anagogicus, per quem aliqua exponuntur de ecclesia triumphante, debet esse alius ab allegorico, quo aliqua exponuntur de Christo & ecclesia militante.

¶ 5. Praet. Si isti quatuor sensus essent de necessitate sacre scripturae, qualibet pars sacre scripturae deberet hos quatuor sensus habere: sed hoc falsum est, ut n. Augustinus dicit super Gene. ad literam. In quibusdam sensus literalis quaerendus est solus. ergo hi quatuor sensus non sunt de necessitate expositionis sacre scripturae.

SED CONTRA est, quod Augustinus dicit in I. super Gene. ad literam. In omnibus libris sanctis oportet inueniri quae ibi aeterna inueniuntur, quae ibi facta narrantur, quae futura praenuntiantur, quae agenda praecipiantur. Primum autem pertinet ad sensum anagogicum: secundum ad historicum: tertium ad allegoricum: quartum ad moralem. ergo quatuor sunt sensus sacre scripturae.

¶ 2. Praet. Beda super Gen. in praedictis dicit. Quatuor sunt sensus sacre scripturae, historia, quae res gestas loquitur: allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur: tropologia, id est moralis locutio, in qua de moribus ordinandis tractatur: anagogia, per quam de summis & caelestibus tractatur ad superiora reducitur.

RESPON. Dicendum, quod distinctio istorum quatuor sensuum hoc modo accipi debet. Sicut enim dictum est, sacra scriptura veritatem quam tradit, du-

plicitate manifestat, per verba, & per rerum figuras. Manifestatio autem quae est per verba, facit sensum historicum, siue literalem, unde totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur: sed sensus spiritualis, ut dictum est, accipitur, vel consistit in hoc, quod quaedam res per figuram aliarum rerum exprimentur, quia visibilia solent esse figura inuisibilium, ut Dionysius dicit. Inde est quod sensus iste qui ex figuris accipitur, spiritualis uocatur: veritas autem quam sacra scriptura per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur, ad recte credendum, & ad recte operandum. Sic est sensus moralis, qui alio nomine tropologicus dicitur. Si autem ad recte credendum oportet distinguere secundum ordinem credibilium, ut n. Dionysius dicit 4. ca. cetera hierarchiae. Status ecclesiae medius est inter statum synagoga, & statum ecclesiae triumphantis. Vetus ergo testamentum figura fuit noui, vetus simul & nouum figura sunt caelestium. Sensus ergo spiritualis ordinatur ad recte credendum, potest fundari in illo modo figuratiue, quo vetus testamentum figurat nouum, & sic est allegoricus sensus, vel typicus, secundum quod ea quae in veteri testamento contigerunt, exponuntur de Christo & ecclesia: vel potest fundari in illo modo figuratiue, quo nouum simul & vetus significat ecclesiam triumphantem, & sic est sensus anagogicus.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod hircus, vel alia huiusmodi, per quae aliae personae a Christo inscripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae ad hoc solum ostendit, ut illae personae significarentur. Vnde illa significatio, qua per illas similitudines personae ille, aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum sensum: sed ad Christum designandum est illa quae in re ueritate contigerunt, ordinantur sicut umbrae ad veritatem: & ideo talis significatio, qua per huiusmodi res Christus, aut eius membra significatur, facit alium sensum praeter historicum, allegoricum. Si alibi uero inueniatur, quod Christus significatur per huiusmodi imaginarias similitudines, alii significatio non excedit sensum literalem, sicut Christus significatur per lapidem, qui excelsus est de monte sine manibus. Dan. 2.

AD SECUNDVM dicendum, quod sensus allegoricus non solum pertinet ad Christum ratione capitis, sed etiam ratione membrorum: sicut quod per duodecim lapides electos de Iordane, Iosue 7. significatur duodecim Apostoli. Sed moraliter sensus pertinet ad membra Christi, quantum ad proprios eorum actus, & non secundum quod considerantur ut membra.

AD TERTIUM dicendum, quod moraliter sensus non dicitur omnis sensus, per quem mores instruitur, sed per quem instructio morum sumitur ex similitudine aliarum rerum gestarum. Sic enim moraliter sensus est pars spiritualis, quod nunquam est idem sensus moralis & literalis.

AD QVARTVM dicendum, quod sicut sensus allegoricus pertinet ad Christum, in quo est caput ecclesiae, sic militantis iustificans eam, & gratiam infundens: ita & sensus anagogicus pertinet ad eam in quo est caput ecclesiae triumphantis glorificans eam.

AD QUINTVM dicendum, quod quatuor isti sensus non attribuitur sacra scripturae, ut in qualibet eius parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quod quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum. In sacra scriptura praecipue ex prioribus, posteriora significantur, & ideo quatuor.

ar. 149. 155.

quandoque in sacra scriptura secundum sensum literalem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritaliter de posterioribus exponi, sed non eouertitur. Inter omnia autem quae in sacra scriptura narrantur, prima sunt illa quae ad vetus testamentum pertinent, & ideo quae secundum literalem sensum ad facta veteris testamenti spectant, possunt quatuor sensibus exponi. Secunda uero sunt illa, quae pertinent ad statum praesentis ecclesiae, in quibus illa sunt priora quae ad caput pertinent, respectu eorum quae pertinent ad membra, quia ipsum corpus uerum Christi, & ea quae in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici, & eorum quae in ipso gerantur, ut in ipso. s. Christo exemplum uiuendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis praemonstrata est, unde ea quae ad literam de ipso Christo capite dicuntur, possunt exponi & allegorice referendo ad corpus eius mysticum, & mortaliter referendo ad actus nostros, qui secundum ipsum debent reformari, & anagogice, in quantum in Christo est nobis iter gloriae demonstratum. Sed quoniam secundum literalem sensum dicitur aliquid de ecclesia, non potest exponi allegorice: nisi forte ea quae dicuntur de primitiua Ecclesia, exponantur quantum ad futurum statum Ecclesiae praesentis, possunt tamen exponi moraliter, & anagogice. Ea uero quae moraliter dicuntur secundum sensum literalem, non consueuerunt exponi nisi allegorice. Illa uero quae secundum sensum literalem pertinent ad statum gloriae, nullo alio sensu consueuerunt exponi, eo quod ipsa non sunt figura aliorum, sed ab omnibus aliis figurata.

ARTICVLVS XVI.

Verum in alijs scripturis predicti sensus distinguantur qui debeant.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod in alijs scripturis predicti sensus distinguantur. Sensus enim spirituales in sacra scriptura accipiuntur ex quibusdam similitudinibus: sed in alijs scientijs proceditur etiam ex quibusdam similitudinibus, ergo in scripturis aliarum scientiarum possunt sensus plures inueniri.

¶ 2 Praet. Poeticae artis est veritatem rerum aliquibus similitudinibus fictis designare. ergo uidetur quod & in dictis poetarum sensus spirituales inueniantur, & non solum in sacra scriptura.

¶ 3 Praet. Phil. dicit, quod qui dicit unum, quodam modo multa dicit. ergo uidetur quod in alijs scientijs in uno sensu possunt designari plures, & sic non solum sacra scriptura hos sensus spirituales habet.

SED CONTRA est, quod dicit Gre. 22. moralium. Sacra scriptura omnes scientias atque doctrinam ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat gestum, prodat mysterium.

RESPON. Dicendum, quod spiritualis sensus sacrae scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spirituales sensus accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est qui sua prouidentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas uoces, uel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significandum aliquorum ipsius cursuum rerum suarum prouidentiam subiectarum. Significare autem aliquid per uerba, uel per similitu-

Adnes factas ad significandum, tantum ordinatas, non facit nisi sensum literalem, ut ex dictis patet. Unde in nulla scientia, humana industria inuenta proprie loquendo, potest inueniri nisi literalis sensus, sed solum in ista scriptura, cuius spiritus sanctus est actor, homo uero instrumentum, secundum illud psal. 44. Lingua mea calamus scribae &c.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in alijs scientijs proceditur ex similibus argumentando, non quod ex uerbis, quibus unares significatur, significetur, & alia res.

AD SECUNDVM dicendum, quod fictiones poeticae non sunt ad aliud ordinatae nisi ad significandum, unde talis significatio non supergreditur modum literalis sensus.

AD TERTIVM dicendum, quod qui dicit unum, quodammodo dicit multa, scilicet in potentia, secundum quod conclusiones sunt potentia in principijs. Ex uno enim principio multae conclusiones sequuntur, non quod in alijs scientijs per modum significationis quod dicitur de una re, simul de alijs intelligatur, ut significatum, licet inde trahi possit per argumentationem &c.

QVAESTIO VII.

QVAESTIO est de opere manuali, circa quod quaeruntur duo.

¶ Primo, Vtrum operari manibus sit in praeepto.

¶ Secundo, Vtrum ab hoc praeepto excusentur illi, qui spiritualibus operibus uacant.

ARTICVLVS XVII.

Vnum operari manibus sit in praeepto.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod operari manibus sit in praeepto, 2. ad Thess. 3. Si quis non uult operari, non manducet. Audiui mus, enim &c. gl. Quod ideo praecipio, quia audiui mus, ergo &c.

¶ 2 Praet. Aug. in lib. de opere monachorum. Audiant ergo quibus hoc praecipit Apostolus, qui non habent hanc potestatem.

¶ 3 Praet. Nullus debet excommunicari, ut iura dicunt, nisi pro mortali: sed nullus peccat mortali, nisi contra praeeptum faciens. cum ergo ille qui cessat ab opere manuali, iure possit excommunicari, ut patet per illud quod dicitur 2. ad Thessal. 3. Si quis non obedierit uerbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. uidetur ergo quod operari manibus sit in praeepto.

¶ 4 Praet. Ille qui peccauit tenetur poenam debitam pro peccato subire ex necessitate praeepti: sed omnes in Adam peccauerunt, ad Roma. 5. poena autem peccati Adae est labor manualis, Gene. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. ergo omnibus est praeeptum manibus laborare.

¶ 5 Praet. Ad Ephesios 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis. gl. Laboret operando non solum per seruos, sed etiam manibus: illud autem quod ad omnes pertinet, est praeeptum, non consilium. ergo &c.

¶ 6 Praet. Labor manualis necessarius est ad sustentationem uitae corporalis, sicut actus uirtutum sunt necessarii ad sustentationem uitae spiritualis: sed actus uirtutum sunt in praeepto. ergo & laborare manibus.

¶ 7 Praet. Illud ad quod sequitur peccatum mortale, non quodlibet. S. Tho. G po-